

quod minus difficultius movet eam, quam obiectum maius. At Angelum se constitutum in minori & minori loco totaliter subicitur libere applicationi illius intra suum locum proportionatum; & aliunde non expofcit maiorem virtutem, quam se constituit in toto suo loco adæquato, sed potius (vt ita dicam) minore n virtutem, vt portare minus pondus.

109 Arguitur ultimò ex Euclide propofit. 35. Nam qui potest esse in vno æquium, potest esse & in alio, si sibi figuratio non repugnat; sed Angelo nulla figuratio loci repugnat; ergo si potest esse in vno æquali, etiam in altero; ergo si potest esse in quadrato quantumcunque parvo & frictio, poterit etiam esse in quadrangulo quantumvis longo ita quadrato æquali: ergo cum quadrangulus iste possit protendi à terra vsque in cælum, potest Angelus esse simul in cælo & in terra; & eum possit protendi in infinitum, potest Angelus esse in maiori & maiori loco in infinitum secundum longitudinem, sicut potest esse in minori & in maiori secundum latitudinem; sed hoc est contra Damascenum lib. 2. cap. 3. relatum à D. Thoma in præf. art. 2. in argum. Sed contra, vbi ait, quod Angeli, dum sunt in cælo, non sunt in terra; & contra D. Gregorium 1. Moral. cap. 2. & homil. 34. in Evang. idipsum asserentem: ergo Angelus non potest esse in minori & minori loco in infinitum, & multò difficultius in solo puncto.

110 Ad hoc argumentum, quod revera potest retorqueri contra Scotum, & eius discipulos, vt perspicitur constabit: Respondent communiter Scotistæ, Angelum posse naturaliter esse simul in cælo & in terra. Neque ex hoc sequitur esse in maiori loco, quam sit maximus: quia licet excedat in longitudine, deficit tamen proportionaliter quoad latitudinem: quia quadratus & quadrangulus sunt æqualis quantitatis sola figurazione differentes, ideoque eo casu non esset Angelus extra spheram sui loci adæquati. Et ad auctoritatem Patrum aiunt, mentem corû tantum esse, quod Angelus non possit esse simul in cælo, & in terra secundum omnes dimensiones sui loci adæquati, itant si spatium adæquatum est vna leuca, non potest esse simul in cælo & in terra, servata latitudine vnus leuce.

111 Sed hæc solutio non potest admitti: Tum, quia illud auctoritatem tantorum Patrum, qui absolute negant, Angelum posse esse in cælo, & in terra, Tum etiam: Quia est contra D. Thomam, qui prædictorum Patrum auctoritate sustulit idipsum tenet; & ex eo probat, Angelum non posse esse simul in pluribus locis adæquatis. Tum denique: Nam vel Angelus petit terminum versus longitudinem; vel non petit? Si dicatur primum: ergo non potest protendi ad totum illud spatium, ad quod potest se extendere quadratus; cum iste possit extendi in infinitum. Si dicatur secundum: ergo idem

quod prius; ac proinde non obliaret vlla figuræ versus latitudinem. Tum denique: Nam ex hoc modo dicendi sequitur, quod Angelus, & quælibet alia potentia activa potens agere in quadrato duorum palmarum possit simul agere in quadrangulo quatuor palmarum, sex, octo, centum, & sic in infinitum, variata figura versus latitudinem; quod videtur maximum absurdum.

112 Respondetur itaque, quod propofitio illa Euclidis solum habet locum in his, que sunt quanta quantitate molis: quia hæc possunt crescere, eo modo quo in obiectatione depingitur, vt liquet in aqua. Secus verò in Angelis ob oppositam rationem: & quia habent terminum versus magnitudinem quoad repletionem loci. Neque defectus in latitudine est in causa, vt locus maximus versus longitudinem non reddatur maior, quam est locus maximus absolute: aliàs Angelus non haberet absolute terminum versus magnitudinem; quod non concedunt Scotistæ.

DUBIUM VII.

Utrum vnus Angelus possit esse in pluribus locis; & plures Angeli in eodem loco?

113 **P**RO huius tituli intelligentia: Nota primò, locum, vltra divisionem illius in naturalem, & violentum, posse dividi in materialem, & formalem: locus formalis ille dicitur, qui connotat effectum productum ab Angelo & operationem, quæ est ipsa productio effectus recepti in ipso loco, vel qui connotat passionem ipsius Angeli; locus verò materialis dicit nudam entitatem sui ipsius. Potest etiam dividi in adæquatum, & inadæquatum: inadæquatus dicitur ille, qui est pars loci adæquati; adæquatus verò, qui explet virtutem adæquatam Angeli; sicut respectu corporis locus inadæquatus est ille, qui est pars loci adæquati; & adæquatus, qui circumscribit totum corpus locatum. Nota secundò: locum posse ad Angelum comparari velut ad causam efficientem principalem; vel sicut ad causam instrumentalem; posseque comparari vel respectu virtutis eius naturalis, vel respectu virtutis ei superaddite. Quibus prænotatis:

114 Supponimus primò, vnum Angelum posse naturaliter esse in pluribus locis inadæquatis. Et ratio ex dictis patet: Nam Angelus potest esse in loco divisibili: ergo simul potest esse in eius partibus; quæ sunt loca inadæquata respectu Angeli, si existeret in illo. Qua etiam ratione idem corpus potest esse in pluribus locis inadæquatis. Nota secundò, vnum Angelum virtute sua naturali non posse esse simul in duobus locis adæquatis: aliàs esset, & non esset ei adæquatus, id est, Angelus ageret, & non ageret secundum vicinum suæ virtutis.

¶ Et

¶ Et confirmatur: Nam nulla potentia potest ferri extra suum obiectum adæquatum (propter eandem rationem) ergo pariter nec Angelus potest esse extra suum locum adæquatum. Adde: Quia si posset esse in duobus locis adæquatis, posset esse in tribus, in quatuor, & sic in infinitum, & ac proinde posset esse vbiq. Quæ ratio etiam efficax est inspecta potentia Dei absoluta, maximè si intelligatur de loco adæquato respectu virtutis naturalis. Imò & respectu virtutis supernaturaliter additæ: sicut ratione huius virtutis posset collocari in maiori loco, quam est adæquatus correspondens virtuti naturali. Nam demus, quod locus adæquatus correspondens virtuti eius naturali est vna leuca; quamvis ratione virtutis ei supernaturaliter additæ possit esse in duobus leucis, quia vtraque leuca est locus adæquatus respectu vtriusque virtutis simul; tamen non potest Angelus virtute sua naturali extendi adhuc per miraculum extra vnam leucam, si nulla ei virtus superaddatur; neque extra duas leucas per virtutem illam ei divinitus superadditam: quia in vtroque casu locus esset, & non esset adæquatus. His suppositis:

Ad duo tantum reducitur prima pars dubij: videlicet an Angelus possit esse in duobus locis inadæquatis vt pluribus? (Sed hoc infra examinandum est, ne bis eadem repetamus) Et an naturaliter possit esse in duobus locis inter se distantibus, absque eo quod sit in medio?

§. I.

Prior assertio.

115 **D**icendum est primò, Angelum posse naturaliter existere in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, absque eo quod existat in medio, dummodò sint intra spheram suæ activitatis. Hac conclusio asseritur communiter à Thomistis, vno vel altero excepto, quos sequuntur nonnulli Scotistæ & ex Societate. Et colligitur non obscure ex doctrina D. Thomæ tum in præf. art. dum ait, Angelum esse in loco diffinitivè, hoc est, quod non sit in loco commensurativè ad illum, & quod ita sit in vno loco, quod non sit in alio; sed hæc duo salvantur, si Angelus esset in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, tamen non esset in medio: ergo iuxta doctrinam D. Thomæ potest Angelus naturaliter esse in locis inadæquatis inter se distantibus, etiam non esset in medio. Tum etiam quæst. seq. art. 2. vbi ait, Angelum posse moveri de extremo ad extremum, absque eo quod transeat per medium: si ergo hæc duo extrema contineantur intra eam distantiam, ad quam virtus operativa Angeli potest naturaliter se extendere, non est vnde ei repugnet esse simul in duobus partibus extremis illius distantis, quin sit

in intermedijs, vt perpendenti constabit.

116 Et probatur ratione: Angelus est in loco ratione suæ operationis libere applicatæ: ergo potest esse naturaliter in partibus extremis sui loci adæquati, quin sit in intermedijs. Probatur consequentia: Tum, quia Angelus potest libere applicare suam virtutem operativam vel toti loco adæquato, vel partibus, prout ipsi libuerit, dummodò contineantur intra ambitum sui loci adæquati. Tum etiam: quia Angelus, eo quod est in loco ratione suæ operationis libere applicatæ potest se subtrahere ab omni loco, & esse nullibi, vt vidimus ex D. Thoma: ergo etiam potest se subtrahere à qualibet eius parte, prout ipsi placuerit; ac proinde esse in partibus extremis, & non in intermedijs.

117 Respondent Adversarij, quod licet Angelus sit in loco per operationem libere applicatam; nihilominus non potest esse in duobus locis vt pluribus, vt docet D. Thomas in præf. art. 2. & in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 2. Porro si Angelus esset in duobus locis inadæquatis inter se distantibus, absque eo quod esset in medio, esset in pluribus per modum plurium loca enim discontinua aut discontigua & inter se distantia comparantur respectu locati per modum plurium, eo quod non sunt vnæ entitative, continue, aut ordine, vt ex se liquet.

Sed contra est: Nam loca partialia & inter se distantia non comparantur vt plura ad virtutem angelicam, dummodò contineantur intra ambitum loci adæquati angelici; & Angelus sit simul in illis & in locis intermedijs: ergo neque comparantur vt plura, etiam non sit in intermedijs. Probatur consequentia: Tum ex discrimine reperto inter locum circumscriptivum, & diffinitivum: nam cum corpus locale sit in se continuum, & dependeat seus commensuratur cum loco, oportet, quod locus illius sit in se continuus, vel saltem contiguus, vt sic salvetur eadem distantia ad polos mundi & centrum terræ, & non dependet vnitas loci circumscriptivi; sed locus diffinitivus non est, à quo Angelus dependet, sed est in eo modo elevatori: ergo vnitas loci diffinitivi seu angelici non desumitur ex continue, aut contiguitate sui, sed ex alia elevatori ratione, videlicet ex vnitate virtutis, quæ potest plura loca sive continua aut contigua, sive inter se distantia contingere: iam sic; sed non est, cur Angelus possit simul se extendere ad quatuor angulos templi, & ad spacia intermedia, & non possit se extendere simul ad quatuor angulos illius, quamvis non se extendat ad spacia intermedia, cum omnia ea contineantur intra ambitum loci adæquati suæ virtutis: ergo.

Tum etiam probatur eadem consequentia, ex alio discrimine quod inter vtrumque locum intercedit: Nam in circumscriptivo superficies ambiens est prima forma & mensura rei locatæ: & sic res locata debet esse in tali superficie iuxta

ta modum & exigentiam illius, ideoque nequit habere continuitatem nisi ex continuitate formali ipsius superficie in ratione loci. Econtra vero in loco diffinitivo quantitas virtutis & eius contactus est prima forma & mensura ipsius loci: & si res locata non debet esse iuxta exigentiam loci, sed potius locus iuxta modum quantitatis virtutis: ergo unitas loci respectu Angeli debet desumi ab unitate virtutis illius: ergo de materiali se habet ad unitatem illius, quod partes loci sint continuæ, aut inter se distantes, dummodo contineantur intra spheram virtutis angelicæ.

Et confirmatur ex doctrina D. Thomæ communiter à Theologis accepta: Nam quodlibet regnum habet ad sui custodiam Angelum deputatum: ergo ad suum munus explendum attingit, ut exequatur omnia, quæ ad bonum commune conducunt, sed potest accidere, quod nihil occurrat operandum in locis intermedijs conducentis ad bonum commune, sed tantum in partibus extremis illius regni: ergo potest esse in partibus extremis, quin sit in intermedijs.

§. II.

Opinio contraria.

118 **O**ppositam opinionem tenent Egidius, Greg. Molina, Valentia, Vazquez, & ex Thomistis Ioannes à S. Thoma. Et prætermino argumento desumpto ab autoritate SS. PP. qui tantum loquuntur de locis adæquatis: Arguitur primo: Deus nequit esse in partibus inter se distantibus, quin sit in intermedijs: ergo neque Angelus. Consequentia videtur à paritate consistere: nam omnia loca continentur intra spheram virtutis Dei: ergo si, hoc non obstanti, Deus nequit esse in locis extremis, quin sit in intermedijs, neque Angelus poterit esse. Item: anima rationalis nequit informare partes extremas corporis, quin informet intermedijs: & tamen est perfectissima in informando: ergo quamvis Angelus sit modo elevato in loco, nequit esse in locis inter se distantibus, quin sit in intermedijs. Tandem: lumen nequit à Sole derivari in partem extremam nisi per medium, quamvis sit qualitas factis perfecta in sui diffusione.

Respondetur, nullum exemplum ex dictis officere nostræ assertioni. Non primum: nam quod Deus nequeat esse in partibus extremis, quin sit in intermedijs, convenit ei ratione materie, quia videlicet in Deo est ad hoc specialis ratio, quæ Angelo nequit convenire. Ratio enim, cur Deus nequit esse in locis extremis, quin sit in intermedijs, est quia est ens per essentiam, à quo omnia sunt esse debent immediate participare. Quæ ratio nequit Angelo

comparere, ut ex se constat. Maxime: Quia si Deus annihilaret loca intermedia, & illorum loca non substitueret alia corpora, posset esse in locis inter se distantibus, quin esset in medijs.

Neque secundum: Tum quia anima unitur naturaliter corpori velut forma illius, Angelus vero unitur liberè loco. Tum etiam: quia anima constituit unum per se cum corpore, à quo sumit suam unitatem; cum quo non coheret, quod informet partes inter se distantes, & non intermedijs: quia mediaret alia forma; ac proinde illæ partes distantes iam non essent unum corpus, sed plura. Angelus autem neque constituit unum per se cum loco, neque sumit suam unitatem à loco. ¶ Nec tandem tertium: Tum quia lumen diffunditur naturaliter à Sole, & ideo nequit derivari ad extremum nisi per medium: Angelus vero est liberè in loco. Tum etiam: quia lumen est quid corpus, & ob hanc rationem debet commensurari spatio intermedio, per quod diffunditur: contra Angelus est spiritua- lis, qui non subditur legibus loci.

119 Arguitur secundò: Nam si Angelus esset in locis inter se distantibus, quin esset in intermedijs, sequitur, quod esset in pluribus; hoc est contra D. Thomam locis citatis num. 117. ergo. Sequela probatur. Primo: Nam loca illa inadæquata relatè ad duos Angelos habent rationem plurium, propter distantiam, quam habent inter se: ergo similiter respectu unius Angeli, ¶ Secundo: Si per possibile vel impossibile idem corpus posset collocari in duobus locis inter se distantibus, esset in illis ut pluribus; non ob aliam rationem nisi quia essent inter se distantia: ergo idem dicendum est de illis relatè ad Angelum. ¶ Tertio: Nam corpus Christi existens in partibus extremis unius hostiæ, & non in intermedijs, esset in illis ut pluribus, quamvis posset esse simul in intermedijs, si à Sacramento conferretur: ergo etiam Angelus esset in pluribus ut pluribus, si esset in partibus extremis, & non in intermedijs.

Respondetur, negando antecedens, propter dicta §. præcedenti. Et quantum ad primum exemplum: fatetur equidem, quod illa loca inadæquata relatè ad duos Angelos comparantur per modum plurium. Sed non propter rationem ibi innotuam, hoc est, propter meram distantiam, quam habent inter se, sed quia essent in illis non solum per distinctas operationes sed etiam per distinctas virtutes. At vnus Angelus esset in illis per eandem virtutem. Quidquid sit de diversis præsentis aut operationibus, de quo in argumento sequenti.

Ad secundum respondetur, quod dato quod idem corpus & sine additione nova quantitatis esset in locis adæquatis inter se distantibus, quin esset in intermedijs, tunc esset in pluribus per modum plurium: quia inde argueret

tur

tur non esse in illis per eandem virtutem; quod etiam inferretur, si esset in duobus locis adæquatis inter se continuis aut continguis. Angelus vero esset in locis inter se distantibus per eandem virtutem: quod ex eo facit colligitur, quia potest esse in illis, si simul esset in intermedijs.

Ad tertium respondetur, quod propterea corpus Christi existens in partibus extremis vnus hostiæ, & non in intermedijs, est in illis ut in pluribus, sicut ut existens in cælo & in Eucharistia, quia est in illis ratione diversarum virtutum. Nam imprimis in cælo est ratione suæ quantitatis, & in Eucharistia ratione sue substantiæ: deinde in diversis speciebus est ratione diversorum modorum substantialium, qui vi consecrationis superadduntur corpori Christi, ut rectè tradunt N. Salm. tract. de Eucharistia disp. 5. dub. 3. Neque vltimè inconueniens est, quod eadem res sit in pluribus locis ut pluribus ex vi diversarum virtutum. Angelus autem non esset in partibus inter se distantibus ratione diversarum virtutum, quamvis non esset in medijs: Et sic paritas non tenet.

120 Arguitur tertio: Nam si Angelus esset in locis inter se distantibus, quin esset in medijs, esset in illis per diversas præsentias: hoc non est admittendum: ergo non potest esse in spatijs inter se distantibus, quin simul sit in intermedijs. Sequela patet: nam præsentie, utpote respicientes loca inter se distantia, non possunt inter se identificari. Maxime, quia contingeret ea loca per diversas operationes. Minor verò probatur. Nam imprimis illæ præsentie nequeunt esse eiusdem rationis: tum, quia inde sequeretur, duo accidentia tantum numero diversa esse in eodem subiecto: tum, quia possent producere effectus specie diversos, v. g. in vno motum, in alio lumen, aut aliud simile: ergo tunc non essent eiusdem rationis. Deinde non essent diversæ rationis: quia iam esset in illis ut in pluribus, propter doctrinam traditam in solutione præcedenti.

Et confirmatur: Nam si Angelus posset esse in illis spatijs inter se distantibus, posset, semel existens in vno spatio, se collocare postea in alio: sed hoc repugnat: ergo. Minor probatur: nam præsentia ad secundum spatium non potest acquirere per motum discretum: quia in motu discreto desinitur terminus à quo: neque per motum continuum propter eandem rationem, & quia spatium non est continuum; non est alius modus acquirendi prædictam præsentiam ad secundum spatium: ergo semel existens in vno spatio, non potest postea & simul se collocare in secundo.

Ad argumentum respondetur, quod aliud dicendum est de Angelo, dum ab initio se collocat in illis locis inadæquatis & distantibus; & aliud, dum se collocat in vno, & postea in

alio absque desertione prioris. Item aliud dicendum est de illo, dum infert in illis effectus eiusdem rationis; & aliud, dum infert effectus diversæ rationis. Nam si ab initio & simul se collocat in illis inferens effectus eiusdem rationis, tunc probabilis est, quod est in illis per vnam indivisibilem operationem & præsentiam (quamvis oppositum posset ut probabile sustineri) quia agit per operationem elevatam & non commensuratam cum loco. Si verò prius vnum, & postea alium distantem acquirat, & producat effectus eiusdem rationis; tunc cessat actio & effectus, ratione cuius erat in loco priori, & alia actione indivisibilis sit præfens vtrique loco. Sic idem dicendum est, si esset modis præscriptis in partibus extremis, & simul in intermedijs: quia distantia locorum intra ambitum loci adæquati angelici non obest unitati operationis & præsentie propter sui elevationem. Unde nunquam infertur, quod sint in Angelo duo accidentia tantum numero distantia. Si tandem se collocaret vel simul, vel successivè in prædictis locis producendo effectus diversæ rationis, putà in vno lumen, & in alio motum, tunc esset in illis per operationes specie diversas; sed non propterea esset in illis ut in pluribus: quia tota illa diversitas esset de materiali, & respicerentur ab Angelo sub eadem ratione formali, eò quod in ratione loci illæ partes extremæ possunt absolute tangi ab Angelo vnica tantum operatione. Ob quam rationem, si Angelus esset in duobus locis inadæquatis inter se continuis aut continguis; inferens effectus diversæ rationis, non esset in eis, ut plura sunt, ut tenet sententia contraria. Et similiter res materialis temper est in eo loco formaliter, estò detur mutatio aliqua in superficiebus ambientibus, dummodo servetur eadem distantia ad polos mundi & ad centrum terræ.

Ad confirmationem respondetur, quod illam præsentiam ad secundum locum neque acquireret per motum continuum, neque per discretum, sed per mutationem instantaneam, reducendam tamen ad motum discretum, quæ potius potest dici extensio prioris locationis, quam novus motus.

121 Arguitur vltimò: Nam ex nostro modo dicendi sequitur, quod Angelus posset esse simul in cælo, & in terra; hoc non est admittendum, alijs posset esse vbique: ergo. Sequela maioris probatur: Nam ideo Angelus potest esse in duobus locis inadæquatis & inter se distantibus; quia non excedunt locum adæquatum ipsius: ergo si supponatur, quod vna leuca est locus adæquatus Angeli, poterit esse pro media leuca in cælo, & pro alia media in terra.

Ad hoc argumentum respondetur, quod ut Angelus posset collocari in partibus inter se distantibus, necesse est, ut huiusmodi partes contineantur intra ambitum seu spheram adæ-

qua

quam virtutis sue, itaut liberum sit ei operari vel in tota sphaera, simul videlicet in vna leuca, vel in his, aut illis partibus contentis intra vnam leucam. Si vero supponatur, quod sphaera adaequata Angeli est vna leuca, quelibet spatia, est brevia, designata in caelo & in terra sunt extra sphaeram activitatis illius: quapropter ille Angelus nequit simul esse in caelo & in terra: quamvis possit esse in partibus extremis vnus leucae continuatae, quin sit in partibus medijs illius.

§. III.

Posterior assertio.

122 **D**icendum est secundò, implicare contradictionem, quod duo Angeli sint in eodem loco, per hoc quod producant eundem numero effectum per modum duarum causarum principalium totalium, & particularium. Assertio hæc expresse traditur à Div. Thoma in praef. art. 3. & in 1. dist. 37. quest. 3. art. 3. quem sequuntur omnes eius discipuli. Et probatur ratione fundamentali desumpta ex D. Thoma in praef. Nam implicat, vnum & eundem numero effectum provenire à duplici causa adaequata & eiusdem ordinis particulari, vt supponitur ex Philosophia Thomistica: ergo etiam repugnat, quod duo Angeli sint in eodem loco per modum duarum causarum totalium principalium & eiusdem ordinis particularis.

Quod adeò certum est, vt implicet contradictionem, quod duo Angeli sint in eodem loco per modum duarum causarum totalium diversi ordinis, ad eum modum quo Deus & Angelus sunt in eodem loco, quia neque hoc modo, idem effectus potest derivari à duobus Angelis per modum causarum totalium & principalium. Ratio est aperta: quia vt duo Angeli essent in eodem loco per modum duarum causarum totalium diversi ordinis, opus erat, vt actio Angelis inferioris posset produci ab Angelo superiori: sicut actio Angelis producitur à Deo immediate sed repugnat, quod actio vnus Angelis producatur immediate ab alio Angelo tanquam à causa principali, vt infra videbimus: ergo.

123 **D**iximus per modum causarum principalium: quia non repugnat, quod simul existant in eodem loco respectu eiusdem effectus per modum causarum instrumentalium. Et ratio est: quia non repugnat, quod duo Angeli assumantur à Deo vt instrumenta ad producendum eundem numero effectum, ad modum quo duo Sacerdotes concurrant cum Episcopo vt duae causae totales instrumentariae ad consecrationem hostiae, vt docet Div. Thomas 3. part. quest. 82. art. 2.

Diximus etiam per modum causarum tota-

rum respectu eiusdem numero effectus: quia reverà duo Angeli citra miraculum possent esse in eodem loco per modum causarum partialium eiusdem numero effectus. Quia cum Angelus sit in loco per suam operationem libere applicatam, potest contingere adhuc citra miraculum, vt vnus Angelus producat motum corporis quoad substantiam, & alius producat velocitatem illius. Sed nota, quod tunc non essent simul in eodem loco formali; sed tantum in eodem loco materiali, propter proximè dicenda.

124 **D**iximus insuper respectu eiusdem numero effectus: quia possunt esse simul in eodem loco, si in eo producant effectus diversae rationis, vt si vnus produceret motum, & alius lumen. Sed tunc non essent in eodem loco formali, sed tantum materiali. Ratio primi est: quia Angeli sunt in loco, quando in illo agunt immediate inmediate virtutis & suppositi; sed duo Angeli naturaliter loquendo ita possunt agere in eodem loco inmediate inmediate virtutis & suppositi, vt vnus producat in eo lumen, & alius motum: ergo possunt esse in eodem loco, si in eo producant effectus diversae rationis. Ratio secundi est: nam quando Angeli sunt in eodem loco entitativo per diversam rationem formalem, tunc sunt in eodem loco materialiter, & in diverso formaliter; sed hoc accideret, si in eodem loco entitativo producerent effectus diversae rationis: siquidem producerent eos per diversas actiones totales, at proinde per actiones correspondentes diversis formaliter virtutibus: ergo quamvis essent in eodem loco materialiter, essent tamen in diversis locis formaliter.

125 **S**ed contra hoc vltimum obijciunt primò: Nam supra diximus, quod idem Angelus producat effectus diversae rationis in diversis partibus sive contiguas, sive discontiguas, est in illis velut in eodem loco formali: ergo pariter duo Angeli producentes in eodem loco materiali effectus diversae rationis sunt in eodem loco etiam formali. ¶ Et confirmatur: Nam si idem Angelus produceret successivè effectus diversae rationis in eodem loco, semper esset in illo velut in eodem loco formali: ergo pariter si duo essent in eodem loco producentes effectus diversae rationis, essent in eodem loco formali.

Obijciunt secundò Angeli operantes in eodem loco entitativo, essent in illo sub eadem distantia ad polos mundi & centrum terrae: sed locus constituitur in ratione vnus formaliter per huiusmodi distantiam: ergo essent in eodem loco formaliter. ¶ Et confirmatur. Nam si duo corpora penetrarent in eodem loco, essent in illo vt in eodem loco formaliter: & tamen essent in illo per diversas virtutes: ergo est duo Angeli essent in eodem loco per diversas virtutes, non propterea essent in eo vt diverso formaliter.

Ad

126 **A**d primam obijctionem respondetur, concedendo antecedens; sed negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia Angelus producat effectus diversi rationis, sive simul in diversis locis partialibus, sive successivè in eadem parte subiecti, producit illos sub eadem ratione formali, ac proinde tota illa diversitas effectuum est praecise de materiali in ordine ad locum formaliter inaptum: Quod inde colligitur, quia Angelus potest absolute contingere loca illa vnica in indivisibili operatione. At duo Angeli producentes effectus diverse rationis in eadem parte subiecti, nequeunt illos producere sub eadem ratione relate ad locum: quia nequeunt illam absolute contingere eadem indivisibili operatione. Quod adeò verum est, vt licet per possibile vel impossibile producerent effectus eiusdem rationis, adhuc constituerentur in ea sub diversa ratione formali relate ad locum: quia praedicti effectus, exposerent operatione adequate distinctas. Et tunc cum operatio sit Angelis ratio formalis constituendi se in loco, hinc est, quod tota diversitas operationum in vno Angelo penes eandem partem subiecti successivè, vel penes diversa loca partialia simul est prolixius materialis & inadaequata; & diversitas in duobus Angelis relate ad eandem partem est formalis & adaequata. Per quod constat ad confirmationem.

Ad secundam respondetur, concedendo maiorem, & distinguendo minorem: locus circumscriptivus concedo minorem; locus distinctivus, nego minorem. Et negatur consequentia. Igitur hoc est discrimen inter vtrumque locum, quod circumscriptivus est prima forma & mensura rei locatae, continens & subordinans eam sibi: qui simul debet dicere ordinem ad polos mundi, & ad centrum terrae, eò quod communis furatur eum loco superiori. Vnde quodcumque datur eadem continentia quasi activa loci respectu rei locatae, servata eadem distantia ad polos mundi, & centrum terrae, debet dari idem locus formaliter. Et ita si duo corpora penetrarentur, erunt propter hanc rationem in eodem loco formaliter; sicut idem corpus est in eodem loco formali, quando servatur eadem distantia ad polos mundi & ad centrum terrae, estò variarentur superficies proximè ambientes. Ceterum locus distinctivus non est prima forma & mensura rei locatae, sed vice versa res ipsa locata est prima mensura ipsius loci: quia Angelus (v. g.) subordinat sibi locum, & non e converso, proptereaque ratio formalis constituitur in loco, quae est eius virtus operativa & operatio, non pendet ex distantia loci ad polos mundi & centrum terrae, sed tam locus, quam ipsa distantia debent formalizari ab ipsa operatione: & prout illi subijciuntur, datur vnus, vel multiplex locus formaliter. Per quod constat ad confirmationem.

Paul. Tereoh. Salm. Tom. II.

127 **D**iximus tandem per hoc quod producat &c. In quo datur intelligi, quod vterque Angelus sit in loco per operationem: nam si vnus sit in loco per operationem, & alius per passionem, hoc est, quod praedictus locus sit connaturalis vni, & violentus alteri, bene possunt esse in eodem loco, quamvis tunc tandem esset idem materialiter, non formaliter. Quoad primam partem probatur: Nam dum vnus Angelus alligat alium in loco in virtute Dei, tunc vterque est in eodem loco; primus quidem vt alligans & agens, & tanquam in loco connaturali; secundus vero vt patiens & alligatus, & tanquam in loco violento. Ex quo probata relinquitur secunda pars: quia vterque Angelus esset in illo sub di. ersa ratione formali, cum vnus esset ratione virtutis activae, & alius ratione potentiae passivae: ergo essent in loco diverso formaliter.

Ex quo inferitur, duos Angelos posse esse simul in eodem loco violento: quia possunt virtute divina alligari ab eodem loco. In qua hypothese essent in illo tanquam in eodem loco tam materialiter, quam formaliter: quia mensura prima suae locabilitatis non esset virtus Angelis, sed ipse locus: vnde sicut ob hanc rationem duo corpora penetrata essent in eodem loco tam materialiter, quam formaliter, pariter duo Angeli existentes in eodem loco violento essent in illo velut in eodem tam materialiter, quam formaliter.

Hic solet inquiri, an vnus Angelus possit esse velut in loco in essentia alterius Angelis, aut in essentia anima rationalis? Sed solutio huius difficultatis praecipue pendet ex alia: an nimirum Angelus possit operari virtute propria naturalis in alio Angelo, aut in anima nostra? Cuius decisio satis constabit ex dicendis disputatione sequenti.

DUBIUM VIII.

Utrum Angelus possit moveri motu continuo? & discretio: Est in quo vterque motus consistat?

128 **T**itulus dubij plura supponit ad existentiam, & essentiam motus angelici concernentia: pro quibus explanandis deervit s. sequens, necnon omnia, quae in hoc dubio dicenda sunt.

§. I.

Nonnulla suppositiones.

Supponendum est primò, Angelos posse moveri loca iter. Ita communiter Theologi contra Herbeum, & Durandum. Et deducitur expresse ex sacra pagina, in qua dicitur Ange-

M

Ios

los ascendere, & descendere, ut Genes. 18. Joann. 5. & alijs in locis. Et probatur: nam anima beata potest moveri localiter, & ita de anima Christi fides docet descendisse ad inferos: ergo etiam Angelus potest moveri localiter, quamvis non esset beatus. Consequentia probatur: Nam motus animæ beate non est superioris ordinis respectu Angeli, quamvis esset respectu animæ nostræ secundum se: sicut plura alia sunt superiora respectu animæ nostræ suis virtutibus naturalibus relicte, & non respectu Angeli.

129 Nec refert, si dicas *primò* cum Durando, testimonium Scripturæ, necnon descensum animæ Christi ad inferos non debere accipi in sensu proprio & vero, sed pro descensu quoad aliquem effectum. Sicut de Verbo divino dicitur descendisse de Cælo, & de Spiritu sancto descendisse ad Christum in columbæ specie, quin ex hoc possit argui verus descensus, aut motus.

Contra est: Nam verba Scripturæ accipienda sunt in sensu vero, dum absolute profertur, dummodo nullum sequatur inconveniens, maxime si ita accipiuntur à SS. PP. sed ex eo quod anima Christi descendit ad inferos quoad substantiam, nullum sequitur inconveniens, & alijs ita habetur apud SS. PP. bene verò ex eo quod descensus Verbi divini, aut Spiritus sancti accipiuntur in sensu proprio, ut ex se liquet: ergo.

130 Nec refert, si dicas *secundò*, quod ex descensu vero animæ Christi ad inferos inepte deducitur, Angelam posse moveri localiter: siquidem ille descensus non fuit verus motus, eò quod non fuit de loco in locum. ¶ Non (inquam) refert: Nam propterea descensus animæ Christi non fuit verus motus, eò quod esset verus descensus, quia antea non erat per se in loco; sed potuit esse antea in loco: ergo tunc esset verus motus: iam sic; sed hinc rectè arguitur, quod Angelus possit moveri localiter propter superius dicta: ergo.

131 Nec refert, si dicas *tertiò*; ex nostra ratione tantum sequi, Angelam beatam posse moveri localiter: Tum, quia anima Christi erat beata. Tum & quia probabile est, animam proprijs virtutibus relictam non posse moveri localiter. ¶ Nec hoc (inquam) refert. Tum, quia probabile est, animam nostram in statu separationis posse virtute suæ naturæ moveri localiter & active: ergo non est, cur hoc debeat Angelo denegari. Tum etiam: Nam ideo, iuxta probabiliorum sententiam fundatam in D. Thoma infra quæst. 117. art. 4. anima nostra non potest active moveri localiter à seipsa virtute suæ naturæ in statu separationis, quia non est perfecte intellectiva; sed Angelus est perfecte intellectivus: ergo potest moveri localiter. Patet consequentia: nam sicut locomotivum non se-

quitur ad sensitivum imperfectum, sed ad perfectum; ita non debet loqui ad intellectivum imperfectum, sed ad perfectum, quale est in Angelis. Tum denique: Quia anima nostra est entitas partialis, sufficit ei, quod cum alia comparetur possit moveri: ergo, cum Angelus sit intellectivus perfectus ut forma completa, non est, cur non possit ratione sui moveri localiter.

132 Sed objicit Durandus testimonium Augustini lib. 8. de Genes. ad litteram cap. 20. ubi dicitur, quod creatura spiritualis tantum potest mutari per tempora, & corpora per tempora & loca. ¶ At hoc non urget: quia D. August. solum vult, quod creatura spiritualis, puta Angelus, non movetur localiter per commensurationem ad locum, quamvis moveatur per tempora commensurative ad illa, non quæ sunt eiusdem rationis cum tempore nostro, sed alterius superioris rationis; cum tamen corpus moveatur per tempus & locum cum commensuratione ad utrunque.

133 Objicit vterius: quia omnis motus est actus entis in potentia; sed in Angelis non est alius motus distinctus ab intellectu & volitione, quæ sunt actus perfecti: ergo. ¶ Et confirmatur: Nam omnis motus terminatur ad *ubi* distinctum; sed hoc non acquirit Angelus: ergo.

Ad objectionem respondetur, quod non omni motui locali competit esse actus existentis in potentia; sed tantum motus corporum, quia ille comparative ad illum est æquivoce talis. ¶ Ad confirmationem respondetur, quod eò ad omnem motum requiritur aliquid *ubi* aliter tamen & aliter: nam cum motus corporum ordinetur ad terminum, & specificetur ab illo, requiritur *ubi* realiter distinctum. Motus verò angelicus, cum consistat in actione perfecta & immanenti, non requirit *ubi* realiter distinctum, sed ipsa actio est motus & terminus, quia est *fieri & factum esse*. Et si producit verbum, non est propter indigentiam intellectio- nis, sed quia obiectum non est sufficienter vnitum cum potentia.

134 Supponendum est *secundò*, motum angelicum, si comparetur ad motum corporis, non esse talem proprie, sed tantum æquivoce & abusive. Ita Div. Thomas in præf. quæst. 53. art. 1. ubi ait: *Sicut esse in loco æquivoce convenit corpori & Angelo, ita etiam & moveri secundum locum*. Idem tradit in 1. dist. 37. quæst. 4. art. 1. his verbis: *Quia moveri in loco sequitur ad esse in loco; ideo eodem modo convenit Angelo moveri in loco, sicut esse in loco; & utrunque est æquivoce respectu corporalem*.

135 Supponendum est *tertiò*, motum angelicum consistere in diversis operationibus successivis circa diversa loca sine intermedia quiete. Ita D. Thomas locis proximè relatis. Et pro-

batur eius ratione: nam Angelus est in loco ratione sui operationis: ergo motus localis illius solum potest consistere in diversis operationibus successivis circa diversa loca sine intermedia quiete. *Roboratur*: Motus angelicus est successivus transitus de loco in locum: ergo, si est in loco per operationem, motus localis illius debet consistere in successivis operationibus circa diversa loca absque intermedia quiete.

136 Sed objicit: Angelus movens primum cælium non movetur localiter; & tamen successivè agit in diversas partes illius: ergo motus angelicus non consistit in diversis operationibus successivis circa diversa corpora, nulla interveniente quiete. Miximus alias objectiones, quia non militat directe contra hanc suppositionem, sed contra rationem formalem existendi in loco.

Ad hanc objectionem respondetur, quod ut Angelus moveatur localiter, non sufficit, quod operetur successivè in diversis partibus corporis, sed vterius requiritur, quod illa partes sint diversa loca. Partes autem cæli, quas successivè tangit Angelus, non sunt loca diversa formaliter; eò quod important eandem distantiam ad polos mundi & centrum terre. Quam solutionem desumpsimus ex Div. Thoma supra quæst. 5. art. 3. ad 3.

137 Supponendum est *quarò*, Angelum posse moveri localiter motu per accidens, ita ut prædictus motus non inhæreat ei, sed illi, ratione cuius movetur. Hæc suppositio, quoad primam partem, expressè habetur in Div. Thoma loco proximè relato, ubi ait: *Angeli moventur per accidens, motis huiusmodi corporibus*. Et probatur: Nam aliquid moveri per accidens est moveri ad motum alterius, cui coniungitur: quæ ratio D. Thomas 2. part. quæst. 76. art. 6. ad 1. docet, corpus Christi moveri per accidens ad motum specierum; sed Angelus potest uniri corpori, sicut agens unitur passivo: ergo potest moveri per accidens ad motum corporis. Ad quod sufficit, quod Angelus sit in corpore tantum in loco, & quod velit persistere in eo, dum corpus movetur. Per quod evitantur evasiones Adversariorum.

138 Quoad secundam partem etiam probatur: Nam corpus Christi eodem modo movetur in specibus motu per accidens, quo movetur Angeli motis corporibus, ut satis insinuat D. Thomas loco proximè relato; sed dum corpus Christi movetur motis specibus, motus non inhæret corpori Christi, sed specibus: ergo.

Sed ad huius lucem observa *primò* notabile discrimen inter motum per accidens quo movetur corpus, & motum per accidens quo movetur Angelus, quod dum vnum corpus movetur per accidens ad motum alterius, ut cum homo movetur ad motum navis, & vestis ad mo-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

tum hominis, movetur efficienter à movente à iud corpus, & ita est finis motus intrinsecè receptus in corpore moto per accidens. At dum Angelus movetur per accidens, moto corpore in quo est, non movetur efficienter ad motum illius, ita ut aliquis motus intrinsecè in eo recipiatur, sed tantum formaliter; ad modum quo corpus Christi nullum motum intrinsecè recipit, motis specibus. ¶ Observa *secundò*, quod dum Angelus movetur per accidens, quamvis non movetur per motum causatum à corpore, & intrinsecè receptum in Angelo, movetur tamen alio motu per se causato ab ipso Angelo: quia operatur in diverso loco formaliter, propter diversam distantiam ipsius corporis in quo operatur, & à quo movetur. His præsuppositis:

§. II.

Prior assertio circa motum continuum:

139 **D**icendum est *primò*, Angelum posse moveri continuè. Hanc sententiam expressè docet Div. Thomas in hac quæst. 53. art. 1. & alijs in locis; & si aliquando videtur oppositè docere, intelligendus est de motu continuo commensurato cum loco. Eamque tenent D. Bonav. Richard. Scotus cum suis discipulis, Suarez, Vazquez, & Molina cum Patribus Societatis.

Et probatur ratione: Nam ad motum localem continuum sufficit, quod mobile locum aliquem divisibilem successivè & divisibiliter acquirat, & alium relinquat sine intermedia quiete; sed Angelus potest hoc modo moveri: ergo potest moveri continuè. Maior constat in motu continuo corporis. Et minor probatur: nam Angelus est in loco per operationem liberè applicatam, & potest esse in loco divisibili; ergo potest pariter & successivè & sine intermedia quiete partes vnius loci deserere, & partes alterius acquirere.

140 Respondebis, ad motum localem continuum requiri, quod ipse motus habeat partes formaliter divisibiles, quæ ratione transitus corporis de vno loco ad alium est continuus; at motus angelicus nequit habere partes formaliter divisibiles, cum Angelus sit formaliter indivisibilis: nequit ergo esse continuus.

Contra est: Nam, non obstanti quod Angelus sit formaliter indivisibilis, potest esse in loco divisibili: ergo pariter, eò quod motus eius non habeat partes formaliter divisibiles, poterit moveri motu continuo. Patet consequentia à paritate: nam si indivisibilitas Angeli & eius operationis non obstat, ut sit in loco divisibili, non est, cur indivisibilitas operationum illius obstat motui divisibili & continuo. *Explicatur*: Nam, non obstanti quod corpus sit in loco divisibili

modo divisibili, Angelus est in loco etiam divisibili, modo alio proportionali & equivoco: ergo pariter, non obstante quod in motu continuo corporis detur extensio formalis partium, potest & debet dari in motu continuo Angeli alia continuus seu extensio proportionalis & equivoca. *Roboratur*: Nam continuus motus est modus ipsius motus; sed modus proportionatur rei, cuius est modus: ergo ad motum equivocè talem sufficit continuus equivocè seu virtualiter talis; sicut ad motum propriè talem requiritur continuus propriè talis.

141 Hinc facile deducitur, motum Angeli continuum consistere in diversis contactibus seu operationibus, ratione quarum Angelus paulatim & successivè, nulla interposita quiete, producit aliquid in diversis locis, ita ut quantum definit operari in loco, à quo discedit, tantum operetur in alio, quem acquirit: ad quod omnino requiritur, quod per partes & successivè desinat operari in vno, & per partes & successivè operetur in alio; quod fit producendo effectus parciales, in partibus quas paulatim acquirit.

Quod triplici via potest ostendi. Primò, quia per hunc modum dicendi motus continuus Angeli distinguitur tam à simplici mutatione, quam à motu discreto. A simplici mutatione quia ad istam non requiritur, quod Angelus sit prius in loco: neque quod acquirat locum per partes paulatim & successivè: neque tandem, quanvis prius esset in loco, requiritur, quod illum deserat: Oppositas autem conditiones assignamus in motu continuo: ergo per presatum modum explicandi motum Angeli continuum sufficienter distinguitur à simplici mutatione. A motu etiam discreto: nam contra rationem motus discreti est, quod habeat partem intermediam, sed vnicè petit, quod immediatè transeat à parte extrema ad aliam extremam, si ve ab vno puncto immediatè ad aliud; sed oppositam conditionem exigimus ad motum continuum: ergo per prædictum modum explicandi motum continuum Angeli etiam distinguitur à motu discreto.

142 Alia via ostenditur hoc consecrarium: Nam ille modus explicandi motum continuum Angeli est rectus, qui melius potest adaptari modo existendi in loco, & modo se movendi localiter, & qui equivocè conveniat cum motu continuo corporum; sed modus supra descriptus est huiusmodi: ergo Minor probatur: Nam imprimis Angelus est in loco per operationem, & movetur localiter ratione diversarum operationum successivarum & sine media quiete circa diversa loca, ut diximus §. 1. ergo dum dicimus, motum eius continuum consistere in diversis contactibus seu operationibus, ratione quarum Angelus paulatim & successivè, nulla intermedia quiete, producit aliquid per partes in diversis

locis, optimè adaptatur modo existendi in loco, & modo se movendi localiter. Deinde motus continuo corporis consistit in eo, quod corpus ita paulatim & successivè, & sine media quiete recedat ab vno loco per partes, ut eodem modo accedat ad alium: sed omnia hæc assignantur in motu continuo angelico: ergo convenit cum motu continuo corporum: Et cum in motu continuo Angeli nequeat designari vna pars divisibilis correspondens parti divisibili loci, sicut in motu continuo corporis datur pars divisibilis correspondens parti divisibili spatij, sequitur, quod conveniat equivocè cum motu continuo corporum.

143 Tertia & vltima via potest idem consecrarium ostendi, resellendo modum dicendi aliorum. Primus est, continuitatem motus angelici sufficienter evadere explicatam per continuationem spatij, quod illo motu percurritur, teste D. Thoma art. 2. huius quest. ubi sic quæ explicat: *Ordo enim prioris & posterioris in motu continuo est secundum ordinem prioris & posterioris in magnitudine*. Hic (inquam) modus resellitur: Tum, quia hic modus explicandi motum continuum Angeli non satis distinguit illam à motu eius discreto: cum hic etiam permittat continuitatem in spatio: ergo ineptus est. *Tum etiam*: Quia ex hoc modo dicendi solum habetur continuus in spatio, non in motu: ergo est insufficientis. *Tum denique* (& præcipuè) Nam Angelus ita est in loco, ut locus non sit prima ratio & mensura Angeli prout existit in loco, sed e contra contactus eius sit prima mensura ipsius loci sibi subiacenti & subordinans locum: ergo pariter in motu continuo angelico continuus spatij non est prima ratio & mensura motus, sed potius continuus motus est prima mensura continuitatis spatij. Neque oppositum huius colligitur ex prædictis verbis D. Thomæ.

Adde: quod potest dari in Angelo motus continuus, quin detur continuus spatij: ergo non rectè explicatur motus continuus angelicus per solum continuitatem spatij. Antecedens probatur: Nam potest accedere, quod Angelus exiens in prima parte leuæ contingat immediatè & successivè tertiam & quartam partem eiusdem leuæ, quin contingat secundam, & tamen tunc esset ibi motus continuus: ergo. Probatur minor: Nam in illo casu daretur motus localis: ergo vel continuus, vel discretus; non discretus, ut constabit ex infra dicendis: ergo continuus.

Nec appositum docet Div. Thomas art. 2. huius quest. ubi constituens discrimen inter motum continuum, & discretum ait, quod in continuo debet medium pertransiri, secus verò in discreto. Nam discrimen hoc satis salvatur per hoc, quod in motu continuo detur inter terminum à quo & ad quem aliqua pars media,

quæ ut talis motu percurratur; quidquid sit, quod alia impertansita relinquatur, secus verò in motu discreto; ad quem solum petitur duplex pars extrema, ita ut vna simul & adæquate detur, & alia simul & adæquate acquiratur.

144 Secundus dicendi modus est, continuum motus angelici consistere in eo, quod habeat in se, vel in vbi partes formaliter divisibiles in semper divisibilia, quæ sint vnicè suis terminis communibus. Hic etiam modus quem tenent Suarez & alij, rejicitur. *Primò*: Quia si motus Angeli continuus esset huiusmodi, esset simul quantitatius, ac proinde non equivocè, sed vnicè conveniret cum motu continuo corporis: siquidem effectus proprius & formalis quantitatis est habere partes formaliter divisibiles in semper divisibilia. *¶ Secundò*: Quia sicut Angelus est in loco, & movetur localiter per suam operationem, videlicet, per intellectiōnem applicatam per volitionem, ita motus eius continuus consistit in prædictis operationibus; sed intellectiō & volitio non constant partibus formaliter divisibilibus in semper divisibilibus, cum sint purè spirituales: ergo. *¶ Tertio*: Quia id, quod est formaliter divisibile, nequit recipi in subiecto omnino indivisibili & incapaci extensionis; sed Angelus est omnino indivisibilis: ergo. *Adde* (per quod præcluditur tacita obiectio) Nam ideo substantia materialis, quæ est formaliter indivisibilis, potest recipere quantitatem, quæ est formaliter divisibilis, & ideo quantitas, quæ est formaliter divisibilis, potest recipere albedinem, quæ est formaliter indivisibilis, quia tam substantia, quam albedo possunt recipere effectum formalem quantitatis ratione partium potentialium, quæ sunt formaliter divisibiles in potentia & ratione quantitatis; sed hoc non habet locum in substantia angelica: ergo.

§. III.

Sententia contraria, & obiectio: tam contra conclusionem, quam contra prædictam doctrinam.

145 **O**pposita sententia tribuitur Gregorio in 2. dist. 2. quest. 6. Heriberto in 1. dist. 37. quest. 2. art. 1. & Vallesio in lib. de sacra Philo. cap. 41. Pro qua arguitur *primò*: Nam si Angelus posset moveri continue, vel esset per vnicam tantum operationem, vel per plures; neutrum dici potest: ergo. Minor quoad primam partem probatur: Tum quia iuxta nostram modum dicendi motus continuus Angeli consistit in diversis contactibus, seu operationibus. Tum etiam: quia motus continuus debet mensurari tempore continuo; sed vnicæ operatio angelica mensuratur vnicò instanti discreto: ergo nequit moveri continuo

vnicæ tantum operatione. Quoad secundam etiam probatur. Tum, quia plures operationes nequeunt consistere eundem numero motum continuum, nisi vniatur aliquo termino communi, aliàs solum constituerent vnum vnitæ successivè: sed prædictæ operationes non habent aliquem terminum communem, in quo vniatur, cum in se sint formaliter indivisibiles: ergo nequit moveri continue per plures operationes. Tum etiam: quia interdum huiusmodi operationes essent specie distinctæ: ergo essent adæquate in ratione operationem: ergo etiam in ratione contactuum; sed vnitæ motus continuus debet consistere in vnitæ operationibus: ergo. Tum denique: quia ad motum continuum requiritur, quod mobile simul sit partim in termino à quo, & partim in termino ad quem; sed hoc verificari non valet, si continue moveretur per diversas operationes; quia dum operatur per priorem, est præcisè in termino à quo: & dum operatur per posteriorem, est tantum in termino ad quem: ergo.

146 Ad hoc argumentum responderetur, Angelum posse moveri continue vna vel pluribus operationibus. Et ad primam probationem, quæ procedit contra primam partem dilemmatis: Responderetur, quod ad motum Angeli continuum sufficit multiplicitas formalis ex parte effectuum, & multiplicitas virtualis ex parte contactus activè sumptam eo ipso quod Angelus per vnicam operationem paulatim & sine interpolatione contingat diversa loca, non explicat totam suam vim in vnicæ parte; sed tantum partem suæ efficacitatis, ac proinde est idem, ac si ibi essent plures operationes realiter, distinctæ. Ad secundam: Dicendum est, quod illa successio virtualis, quæ reperitur in vnicæ operatione iuxta explanationes inadæquatas suæ efficacitatis, potest correspondere & coexistere temporari nostro formaliter successivo: sicut quia ratio existendi in loco est Angelo sua operatio virtualiter divisibilis, potest existere in loco divisibili.

Ad primam probationem, quæ procedit contra secundam partem dilemmatis: Responderetur, quod licet ad motum continuum corporis requiratur, quod partes eius vniatur aliquo termino communi, eo quod prædictus motus commensuratur omnino loco & temporari nostro; secus verò ad motum Angeli continuum ob oppositam rationem: aliàs non conveniret equivocè, sed vnicè cum motu continuo corporis; sufficit ergo, quod loca attingantur per diversas operationes paulatim & per partes, nullaque media interpolatione. Ad secundam: dicimus, quod huiusmodi operationes ita essent specie distinctæ & adæquate in esse rei, quod essent inadæquate & numero tantum distinctæ in ratione contactuum: quia de formalis tantum attenditur in eis, quod vna succedat immediatè post aliam,

aliam; & spatium modo divisibile & per partes percurratur. Unde sicut ante, & retro, sursum, & deorsum, quæ sunt propria differentie loci, sunt præcisè in esse rei distincta in specie, & in ratione motus continui sunt tantum partialiter & numero distincta; & sicut superficies aquæ & aeris, respectu baculi sunt tantum adæquate & specie distincte in esse rei, & inadæquate & tantum non erit distincta in ratione constitutiendi eundem locum adæquatum; ita de operationibus angelicis dicendum est. Ad tertiam: dicimus cum D. Thoma in præf. art. 3. ad 3. quod ad motum continuum corporis requiritur, non solum quod pars motus sit in termino à quo, & pars motus in medio, & altera in termino ad quem, sed quod pars mobilis correspondeat termino à quo, & alia pars spatii medio, & altera termino ad quem: quia, dum est in spatio intermedio, partem est in utroque extremo, eo quod aliquid participat de utroque. Ceterum ad motum æquivoce talem, qualis est angelicus, non requiritur, quod una pars Angeli sit in una parte loci, & alia pars in alia (totus enim est in una & totus in alia) sed sufficit, quod una pars formalis aut virtualis motus sit in una parte extrema spatii, & altera in alia extrema, & alia in intermedia: quia, dum est in intermedia, etiam verificatur, quod partem est in termino à quo, & partem in termino ad quem.

147. Arguitur secundò (& procedit præcipue contra modum explicandi motum Angeli continuum) Nam falsum est, ad motum continuum requiri, quod terminus à quo paulatim & per partes relinquatur: supponamus namque, quod Angelus existit tanquam in loco in solo puncto (quod esse possibile ostendimus a num. 100.) & quod acquirat alium locum divisibilem paulatim & per partes sine media quiete: tunc Angelus movetur motu continuo; & tamen non deserit terminum à quo paulatim & per partes: ergo falsum est, quod ad motum continuum requiritur, quod terminus à quo paulatim & per partes relinquatur.

148. Ne refert, si dicas, quod in prædicto casu daretur unus motus discretus, & alius continuus, inter quos non daretur continuatio, sed contiguatio tantum. Non (inquam) refert. Nam inflans, quo mensuratur prima mutatio instantanea, continuatur cum tempore, quod mensurat illum motum continuum: ergo etiam mutatio, ratione cuius angelus discedit à puncto, continuatur cum motum successivo & continuo, ratione cuius acquiritur per partes locum divisibilem. Consequentia est legitima. Et antecedens probatur: Nam pars temporis immediatè succedit post instantem; sed pars temporis immediatè succedens post instantem continuatur tum illo: ergo.

Ad hoc argumentum: Respondetur, per assistendo in solutione inter arguendum data,

Nam revera si Angelus recedit à puncto, & non accedit immediatè ad aliud punctum, sed ad aliquam partem divisibilem, tunc impossibile est, quod terminus à quem immediatè succedens post terminum à quo paulatim & per partes acquiritur: quia eo modo, quo punctum deseritur in instanti, pars acquiritur in instanti: desectio enim unius & acquisitio alterius pari passu currunt. Sed cum hoc fiat, quod, acquisita prima parte, moveatur ab hac paulatim & per partes ad aliam acquirendam; & tunc, dum Angelus incipit se movere à prima illa parte acquisita per præfatum motum discretum, incipit motus continuus.

Nec contra hanc solutionem urget replicata. Nam illud inflans, quod mensurat acquisitionem illius primæ partis, non nectitur cum tempore mensurante acquisitionem secundæ, sed est terminus alterius temporis discreti, sicut acquisitio primæ partis est terminus motus discreti. Finito tamen tempore discreto in acquisitione illius primæ partis, incipit (si ita licet loqui) nova series mensuræ ab acquisitione secundæ partis, quæ non continuatur cum præcedenti mensura, sed tantum est illi contigua.

149. Arguitur tertio (& procedit contra eundem modum dicendi) Nam potest Angelus existere in media parte sui loci adæquati: & acquirere paulatim & successivè aliam medianam, absque eo quod deserat primam; sed tunc daretur motus continuus: ergo ad motum continuum Angeli non requiritur, quod tantum relinquatur de termino à quo, quantum acquiritur de termino ad quem. Minor videtur certa: quia tunc movetur localiter; non discrete: ergo continuus.

Ad hoc respondetur, quod tunc non daretur motus continuus, sicut nec motus localis: quia ad motum localem requiritur transitus de uno loco ad alium: quocirca necesse est, quod unum locum deserat, & alium acquirat: quod in prædicto casu non contingeret. Daretur tamen quædam extensio ad maiorem locum, quæ reductivè tantum pertinet ad motum continuum.

§ IV.

Posterior assertio circa motum discretum.

150. Dicendum est secundò, Angelum posse moveri motu discreto. Hanc conclusionem expressè tenet D. Thomas in hac quæst. art. 1. & art. 2. alijque in locis. Angelicum Doct. sequuntur omnes eius discipuli, & communiter Theologi, paucis exceptis, quos infra referemus.

Et probatur ratione D. Thomæ: Angelus ita potest moveri localiter, ut deserat per ultimum esse totum aliquem locum, & acquirat per

per illum motum alium totum simul per primum sui esse: sed nihil aliud desideratur ad motum discretum Angeli: ergo Angelus potest moveri motu discreto. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur. Nam Angelus non commenturatur cum loco, sed est totus in toto loco, & totus in qualibet parte: ergo potest per ultimum esse totum aliquem locum deserere, & totum alium simul, seu per primum sui esse acquirere. Consequentia probatur primò: Nam id, quod non commenturatur cum loco, sed est modo elevato in illo, non potest esse iuxta existentiam ipsius loci: ergo quamvis locus sit continuus, potest transire per illum motu discreto. Secundò: Quod nobis extensum seu habens partes extra partes non potest per ultimum esse totum aliquem locum deserere, & totum alium simul acquirere, provenit ex eo, quod est extensum, seu ex eo quod habet partes extra partes omnino commenturatas cum loco: ergo e conversò si Angelus non est commenturatus cum loco, sed est totus in toto, & totus in qualibet parte, non obstat continuitas loci, ut possit totum unum locum simul deserere, & alium totum simul acquirere. Tertio: Nam quia Angelus est in loco per suam operationem liberam, & in se habet modum elevationis & indivisibilem essendi in loco, potest esse vel in loco divisibili, vel in solo puncto, prout sibi libuerit: ergo pariter ex vi eiusdem elevationis poterit, prout ei placuerit, totum unum locum simul deserere, & totum alium simul acquirere, ut sic modus se movendi correspondeat modo existendi in loco.

151. Respondetis fatendo, quod Angelus possit totum terminum à quo simul deserere, & totum terminum ad quem simul acquirere: sed hinc ineptè probatur, præfatum motum esse discretum, sed potius inferretur esse continuum, non continuitate univoca cum continuatione motus corporis, sed secundum quid seu æquivoce tali, propria tamen Angelorum. Nam cum debeat supponi, quod ibi intercedit unicus tantum motus, & acquisitio termini ad quem continuatur immediatè cum desitione termini à quo, non est, cur talis motus non sit continuus continuitate suprâ descripta, maxime si exercetur circa idem spatium continuum.

Sed hæc solutio nullatenus potest sustineri, ex eo quod non distinguit factis motum Angeli discretum à motu eius continuo, cum tamen expresse illos distinguit D. Thomas locis supra relatis. Et merito: nam, ut ex dictis numer. 141. constat ad motum continuum æquivoce talem requiritur, quod sit similis motui corporum continuo; sed prædictus motus, etiam si exercetur in spatio continuo, non est similis ex parte sui motui corporum continuo: ergo. Minor probatur. Nam motus corporis continuus præter commenturationem sui cum loco petit, quod terminus à quo per partes deseratur, & terminus

ad quem per partes etiam acquiratur, ad quod necesse est omnino dari partes intermedias, quæ tali motu percurrantur; sed in prædicto motu terminus à quo non deseritur per partes, nec acquiritur per partes terminus ad quem, neque à termino à quo ad terminum ad quem pervenitur per partes intermedias, ut prædicta evasio concedit: ergo non est similis motui corporum continuo. Adde: Nam si corpus beati esset in celo, & divinitus collocaretur in terra absque transitu per ignem & aërem, ita ut cælum desereret totum simul, & locum terræ, quem possideret, acquireret totum simul, nullus cordatus assereret, quod talis motus esset continuus, quamvis spatium, quod deserit, & spatium, quod acquirit, essent divisibilia; sed motus angelicus in nostra ratione descriptus & in hac evasione concessus potius est similis huic, quam motui corporum connaturali: ergo non est continuus, sed discretus.

152. Ex his declaratum manet, in quo consistat motus Angeli discretus: consistit ergo in duobus contactibus seu operationibus ratione quarum Angelus, nulla interposita quiete, unum locum adæquatum totum simul deserit, & alium totum simul acquirit. Per quæ motus eius discretus distinguitur tam à simplici mutatione, quam ab aggregato plurium mutationum, quod est purum unum per accidens non habens aliamquam unitatem, nec non à motu continuo. Nam imprimis distinguitur à simplici mutatione: nam motus discretus est transitus de loco in locum; sed simplex mutatio non est transitus de loco in locum, sed mera acquisitio unius loci: ergo. Præsertim: Quia mutatio instantanea & simplex est unica tantum operatio; motus autem discretus constat ex duabus operationibus, ut infra dicemus. Deinde distinguitur à puro aggregato plurium mutationum. Nam aggregatum huiusmodi importat plures mutationes interruptas per quietem, ratione cuius nullam habent unitatem; de motu tamen discreto Angeli diximus constare ex diversis contactibus seu operationibus, vel mutationibus, nulla interposita quiete. Tandem distinguitur à motu continuo eiusdem Angeli. Siquidem per illum totus terminus à quo non deseritur simul, sed per partes, & pariter terminus ad quem non acquiritur totus simul, sed per partes, & ita per eum percurrunt medium, ut medium est; oppositum vero contingit in motu eius discreto.

o(s)o